

Terra Hierosolimitana semper varijs casibus exposita fuit, & ferè omnium gentium præda extitit, nunc Cananeorum possessio, nunc Iudæorum, nunc Asiæ, nunc Persarum, & Medorum, nunc Macedonum, nunc Romanorum, nunc Saracenorum, nunc Græcorum, nunc Latinorum. Et sic semper casibus sub alternis Civium suorum peccata deplorat. Nam illud mirabile est, quod Deus peccatores in terra illa diù non tollerat, puniens in præsentem eos, ne in futurum damnentur, qualiter autem terra illa ad Latinos peruenerit, & qualiter perdidit, & qualiter se Mundus totus ad eius ultionem armauerit, breuiter perstringendum est.

Cum olim Hierosolimitanam Prouinciã Græci, sub quorum ditione fuerat, perdidissent, & longo tempore in potestate Saracenorum extitisset. Latini de perditione Terræ cõmoti collecto exercitu uenerunt in terram Hierosolimitanã, & per partes Antiochenas intrantes, uolente Domino, Terram recuperauerunt, horum Principes extiterunt, Gottifredus de Bulion, qui fuit postmodum Dominus terræ Hierosolimitanæ, & Bayamont, qui Princeps extitit Antiochiæ, & quidam alij. Cumque postmodum semen Gottifredi in terra illa defecisset personæ Terræ Hierosolimitanæ, & Barones ad Principes ultra marinos miserunt rogantes, ut ipsis Principem destinarent, qui eos regeret, & furentibus resisteret Saracenis, qui habita deliberatione eligerunt quendam Fulconem Andagauensem uirum strenuum, & Regi Angliæ proxima linea consanguineum, & miserunt illum ad Terram Hierosolimitanam. Hic Rex coronatus strenuè terram rexir, duosque filios dereliquit, Balduinum, & Almericum, quorum primogenitus Balduinus pater successit in regnum, uir strenuus, & sapiens; quò sine liberis decedente ad fratrem suum Almericum Regni potestas deuoluta est, qui ex uxore sua plurimum consanguinea, duos filios habuit, scilicet Balduinum, & Sybillam. A quâ uxore, cum fuisset iudicio Ecclesiæ seperatus, accepit neptem Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani, ex quâ habuit filiam nomine Isabellam. Mortuo Almerico Balduinus eius filius regnat pro eò, mclxviij. uir strenuus, ac sapiens, & iustus; sed occultò Dei iudicio leprosus fuit; hic sororem suam Sybillam Gulielmo de Longa cognatione Marchionum Montisferrati tradidit in uxorem, & ipsum Comitem Iopem constituit, qui uidelicet Gulielmus, & eà genuit filium nomine Balduinum, Gulielmum, & mortuus est pater eius Gulielmus, cognomine Longaspata uir probus in armis, & placidissimus. Rex uerò Balduinus cum esset lepra infectus, & nollet uxorem accipere, nepotem suum septennem filium Sybillæ, & Marchionis coronauit, in regem; Relinquens illum in tutelam Raymundi Comitis Tripolitani, & mortuus est Balduinus, ac appositus ad patres suos. Sybilla uerò soror ipsius, & Comitissa Iopem iam nupserat cuidam militi Guidoni de Lusignano uiro satis armis strenuo, sed fortuna, & scientia satis inferiori; non post multos uerò dies mortuus est Balduinus Gulielmus; Sybilla uerò mater pueri, & Comitissa Iopem cum Patriarca Eradio, & alijs Terræ personis procurauit, quod sibi, & uiro suo Guidoni regnum daretur, qui coronati sunt, ignorante, & irrequisito Comite Tripolitano, qui fuerat